



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

3. Vtrum in eodem instanti potuerit mereri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Et propterea optime illarum est. quod habuit in primo instanti illas operationes, quas potuit in illo instanti habere, servato intel lege tu, natura & decentie ordine: quod dico ne confundaris scrutando quae est maior ratio de illa, qua de illa operatione, quae habita fuerit in illo primo instanti absque dubio enim constat, primum operum nostrorum, quo reliquis vitimur, consistere in libero arbitrio: & ideo optime conclusum in litera non solum de possibili: sed de facto in anima Christi tunc.

q. 11. q. 1. a. 2. q. 3. & dist. 14. ar. 3. q. 6. & dist. 18. ar. 1. & 5. & veri. q. 29. ar. 8. & op. 3. c. 223. & 228.

q. p. q. 63. a. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuerit.

AD TERTIVM sic procedit. Videtur quod Chrs in primo instanti suae conceptionis mereri non potuerit. Sicut enim se habet liberum arbitrium ad merendum, ita ad demerendum: sed diabolus in primo instanti suae creationis non potuit peccare, ut in 1. parte habitum est. \* ergo neq; anima Christi in primo instanti suae creationis (quae fuit primum instans conceptionis Christi) potuit mereri.

¶ 2 Praet. Illud, quod homo habet in primo instanti suae conceptionis, videtur ei esse naturale: quia hoc est ad quod terminatur sua generatio naturalis: sed naturalibus non meremur, ut patet ex his, quae dicta sunt in secunda parte. ergo videtur quod usus liberi arbitrii, quem Christus habuit secundum hominem in primo instanti suae conceptionis, non fuerit meritorius.

¶ 3 Praet. Id, quod semel aliquis meruit, iam fecit quodammodo suum, & ita non videtur potest illud mereri: quia nullus meretur quod suum est. si ergo Chrs in primo instanti suae conceptionis meruit, sequitur quod postea nihil mereretur, quod patet esse falsum. non ergo Chrs in primo instanti suae conceptionis meruit.

SED CONTRA est, quod Augustinus dicit super Exo. Non habuit omnino Christus iuxta animam meritum, quo potuisset proficere. Potuisset autem proficere in merito, si in primo instanti suae conceptionis non meruisset. ergo in primo instanti suae conceptionis meruit Christus.

RESPON. Dicendum, quod (sicut supra dictum est. \*) Christus in primo instanti suae conceptionis sanctificatus fuit per gratiam. Est autem duplex sanctificatio: una quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur: alia autem puerorum, qui non sanctificantur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum vel Ecclesiae. Prima autem sanctificatio est perfectior, quam secunda sicut actus est perfectior, quam habitus: & quod

est per se, eo quod est per aliud. Cum ergo sanctificatio Christi fuerit perfectissima (quia sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator) consequens est, quod ipse secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum fuerit sanctificatus, qui quidem motus liberi arbitrii est meritorius. Unde consequens est, quod in primo instanti suae conceptionis Christus meruerit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod liberum arbitrium non eodem modo se habet ad bonum & ad malum. Nam ad bonum se habet per se & naturaliter, ad malum autem se habet per modum defectus & praeter naturam. Sicut autem Philosophus dicit in 2. de Coelo. Posteriorius est quod est praeter naturam, eo quod est secundum naturam: quia id quod est praeter naturam, est quodam excisio ab eo quod est secundum naturam. & ideo liberum arbitrium creaturae in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra.

AD SECUNDVM dicendum, quod illud, quod homo habet in principio suae creationis secundum communem naturam, est homini naturale: nihil tamen prohibet quod aliqua creatura in principio suae creationis, aliquod beneficium gratiae a Deo consequatur. Et hoc modo anima Christi in principio suae creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri. & ea ratione gratia illa, secundum quam similitudinem dicitur fuisse illi homini naturalis, ut patet per Augustinum in Enchir.

AD TERTIVM dicendum, quod prohibet idem esse alicuius excisio diversis causis. Et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti suae conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus & passionibus mereri, non quidem ut esset sibi magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis.

AD QVARTVM sic procedit. Videtur quod Christus non fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis. Meritum enim praeditur praemio, sicut & culpa poenam: sed Christus in primo instanti suae conceptionis meruit, sicut dictum est. \* Cum ergo status comprehensoris sit principale praemium, videtur quod Christus in primo instanti suae conceptionis non fuerit comprehensor. ¶ 2 Praet. Dominus dicit Lu. ult. Haec oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: sed gloria pertinet ad statum comprehensoris. ergo Christus non

¶ Super Questionem trigesimaquarta. Articulus tertium.

Titulus clarus est de merito proprie dicto intellectus.

In corpore una est conclusio: Christus in primo suae conceptionis instanti meruit. Probatur: Christus in primo suae conceptionis instanti per gratiam sanctificatus fuit sanctificatione perfectissima. ergo secutum proprium motum liberi arbitrii in Deum, fuit sanctificatus. ergo in primo instanti suae conceptionis meruit. Antecedens probatur: quia sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator. Consequencia vero prima probatur. distinguendo duplicem sanctificationis modum, & comparando eos. Distinctio est: Sanctificatio duplex: vel per proprium sanctificatum actum, vel non per proprium, sed Ecclesiae fidem. Comparatio est. Prima est perfectior: tum quia actus est perfectior habitu, tum quia per se est perfectior eo, quod est per aliud. Secunda autem consequentia probatur: quia motus liberi arbitrii in Deum est meritorius.

art. huius q.

¶ Adverte & diligenter hic tu, qui sacramenta ecclesiae sepius frequentas, quod sanctificatio adultorum est per proprium actum liberi arbitrii tendentis in Deum, & similiter augmentum sanctificationis est per aug-

¶ Super Questionem 34. Articulus quartus.

Titulus clarus est. In corpore una est conclusio, Christus in primo instanti suae conceptionis

lib. 3. tit.

D. 35.

art.

q. 7. ar. 1.

c. 1. a. 2. c. 103.

q. 1. ar. 1.

loci. sent. 3. addit.

art. 1. ar.